

05

A

1350





Q. D. B. V,
DISSERTATIO THEOLOGICA

DE
Aqva ex Christi
latere profluente,

Ex Job. XIX, 34.

Quam
PRÆSIDE

Magnifico, summe Reverendo, Amplissimo atq; Excellentissimo

DN. JOH. ANDR. *Svenstedt/*

SS. Theol. Doctore ejusdemque Prof. Publ. celeberrimo,
Ordinis Theolog. Seniore Consistorii Eccles. Assessore
& Templi omnium Sanctorum Præposito

Gravissimo, p. t. Academiae

RECTORE Meritissimo,

Dn. Patrono, Præceptore & Studiorum

Promotore æternum Devenerando,

Publico Eruditorum Examini

submittit

RESPONDENS,

Johannes Christophorus *Ritter/*

Wurcenâ-Misnicus,

IN AUDITORIO MAJORI,

EDITIO SECUNDA, ANNO. MDC XCIX.

WITTEBERGÆ, TYPIS C. FINCELII.



09 A 1350



I. N. J.

Aqua ex Christi latere profuens,

Ex Johann. XIX, 34.

PROOEMIUM.

Quid est inter omnia opera Dei, in quibus humanae admirationis fatigatur intentio, quod ita contemplationem mentis nostra & oblectat & superat, sicut Passionis Salvatoris? Leo M. Serm. II. de Pass. Dom. fol. 120.

Quemadmodum varia hominum sunt ingenia, quorum ducta diversae nascuntur opiniones & iudicia, usque adeo, ut nec uni semper idem, nec idem simul omnibus placeat. Sunt, qui omnibus difficilioribus posthabitis, facilia & maxime necessaria sibi sufficere credunt; Sunt contra, quibus paulò profundior rerum arridet notitia. Ita etiam Summo illi Numini, tam in aliis, quam in ipsa Dilectissimi Filii sui Passione quaedam ad Salutem consequendam, maxime spectantia & in se satis perspicua, quaedam verò aliquam partem abstrusiora Mortalium ingeniis pro-

A 2

ponere

ponere visum est. Quamvis enim Historia Passionis Christi verè sit Theologia ignorantium, liber Laicorum, Synopsis V. & N. Testamenti, summa & compendium Theologiæ Dogmaticæ ac Practicæ, tantâque facilitate & perspicuitate in gratiam rudiorum proposita, ut famem sufficienter sedare nobisque æternam beatitudinem polliceri queat: Occurrunt tamen nonnulla majori investigatione dignissima, quæ ansam tremendum hoc Mysterium diligentius perpendendi & admirandi suppeditant. Quorum numero proxime accedit Aqua ex latere Christi in cruce defuncti effusa. De quâ quidem virium mearum imbecillitas potius silere, quàm loqui me jubet, nihilominus tamen, quoniam sacratissimum acerbissimæ Passionis Dominicæ tempus appropinquat, Pietas svaedet, ut Humillitatem Salvatoris nostri, & in effabilem in miseros nos homines Amorem, devotâ mente recordemur. Præprimis *cum nihil sit tam efficax ad curanda conscientie vulnera, nec non ad purgandam mentis aciem, quàm Christi vulnerum sedula meditatio.* Pro virili itaque rem aggrediemur, quod Deus bene vertat.

§. I.

Antequam ad nostrum propositum venimus, pauca sunt dicenda de Milite, qui latus Christi perfodit, & ipsius instrumento. Etsi sacer Historicus nomen hujus militis non expressit, nihilo secius tamen nonnulli nomen ipsi indere non dubitarunt, Pontificii communiter sibi habent persuasum, eum dictum fuisse *Longinum*. Qui error procul dubio voci Græcæ *λόγχις* suam debet originem & quidem ex suppositio Nicodemi Evangelio & Manuali quod falsò tribuitur Augustino. Hoc annotavit Codrus Urceus Serm. X. quem citat. Spigelius ad
hymn.

hymn. IX. Prudentii Cathemer. p. 272. his verbis: *Nostri Theologi sive sono vocabuli Græci decepti, ubi Græcè scriptum est λόγχη h. e. lancea crediderunt, percussorem illum Longinum appellatum, & ita in illum hoc nomino exclamantes invebuntur nostri Theologi, sive Verbi divini seminatores, & Longinum proprio nomine militem illum appellant.* Proinde ne Baronio quidem id nominis in hoc milite arrisit, quando potius Longinum dictum vult ipsum illum centurionem, qui Matth. XXVII. 54. Christum Dei Filium esse agnovit, & redarguit eos, qui ex apocryphis quibusdam Scriptis, & mendaciorum confarci natoribus Petro Comestore & Petro de Natalibus crediderunt, Longinum nomine cœcum sanguine Christi sanatum & conversum militem illum fuisse, qui lanceâ latus Domini aperuit. Vid. Nifanius in Comment. in Evang. Joh. p. 1129. Thomas Bartholinus in Tractatu de latere Christi aperto Cap. VI. p. 45. hanc epigraphen adjecit

*Qui Salvatoris latus in
Cruce cuspide fixit
Longinus hic jacet*

Hoc nomen ex Græca voce λόγχη a Monacho quodam insulso exsculptum fuisse statuit Magnif. Dn. Præses in System. suo part. III. cap. 3. membr. 3. de duobus Christi Statibus p. 362. Quod ideo ignorare cogimur, quia in sacris literis expressum non invenimus.

§. 2. Instrumentum quo Christi latus fuit perfossus Johannes λόγχην appellat, quod vocabulum proprie cuspidem, hastam, & Synecdochicè lanceam quoque denotat. Solebant milites habere lanceas propterea λογχοφόροι dicti sunt. Conf. Voet. part. 2. Select. Disputat. Theologicæ, de latere Christi perfesso. Nonnus

quidem λόγῳ vocat, quoniam vero Μαχαιεας voce id ipsum quoque enarravit, severam Clarissimi Heinsii castigationem effugere non potuit. Μαχαιεας, inquit, Polybio & aliis in militia Romana ensis brevior dicitur: qui & Hispaniensis; pedibusque plerumque assignatus. Quid, quod cultellos quos ad circumcisionem cap. 5. Josa facere jubetur Μαχαιεας Hellenista, Chaldaus novacula potuerit. Scire autem velim quomodo pertingere eo usque vel novacula potuerit, vel Μαχαιεας. Sed & quomodo, qui eo usus est, tam alte penetravit, ut pericurdion, quod vulgò creditum, trajiceret; humoris: de quo agitur nunc, sedem? (Putat enim cum Lipsio aliisque crucem fuisse nimis altam.) In Exercit. Sacris in h. l. p. 954. Qui plura hac de re cupiunt, adeant Thom. Barthol. & Gisbert. Voet. supra allegatos, aliosque.

§. 3. Nos hisce missis quæ ad præsens institutum præcisè facere non videntur, scrutabimur, itaque ampliori disquisitione geminum Subjectum. **QUOD** vel **PATIENS & QVO.**

§. 4. **SUBJECTUM QUOD** hujus aquæ effusæ est Θεὸς ἄνθρωπος & verus Deus & verus homo in unitate suæ indivisæ personæ, **EX & IN** duabus naturis divina & humana, *indistanter, inseparabiliter, inconfuse, inconvertibiliter & indivise* inter se copulatis; veramque & realem inter se habentibus communionem, mirabiliter singulari, & singulariter mirabili, adeoque innarrabili interveniente unione personali constans. Summus Deus, quod probatur Zach. XII. 10. *Adspicient ad me, quem transfixerunt.* Quo loquitur hic, est ille JEHOVA (1.) *extendens cælum & fundans terram, fingensque Spiritum hominis in eo* v. 1. 2.) *variis plagis excerceus populum Israeliticum* v. 2. 3. (3.) Eun-

(3) Eundem ex angustiis eripiens. Hic non sermo est de JEHOVA Patre, nec JEHOVA Spiritus S. sed de JEHOVA Filio Christo Jesu. Hoc patet I. quia transfusus fuit clavis pro generis humani salute Joh. XIX. 37. II. Spiritum gratiæ & præcum super domum David, & habitatores domus Jerusalem effundens v. 10. III. quia aspiciendus erit ab universis familiis plorantibus in iudicii administratione, Matth. XXIV. 30. Apoc. I, 7. IV. quia est *Princeps vite, quem interfecisse Judæi dicuntur Act III. 15. Dominus gloria, quem Judæi crucifixerunt, i. e. æternus Deus, quippe dicitur Deus gloriæ Act. VII, 2. Homo etiam sanctissimus, & innocentissimus, qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ipsius 1. Petr. II, 22. & ut Athanasius loqui amat, circumcinctus virtute Altissimi.* Hic Deus & Homo salutis nostræ causâ non nasci tantum & mori sed etiam mortem miraculis testari voluit. Vita enim postquam vivere desiit effudit Vitæ Aquam, quum nimirum adhuc forma servi esset inditus, per illud Apostoli: *Qui quum esset in forma Dei, non rapinam arbitratus est, ut esset æquales DEO. Sed semet ipsum inaniavit, forma servi sumptâ in similitudine hominum constitutus, & figura repertus ut homo. Humilem præbuit semetipsum, factus obediens, usque ad mortem, mortem autem crucis.* Phil. II, 6. 7. 8. Itaque hæc aqua verè appropriatur Filio Dei per unionem hypostaticam non abolitam, sed salvam & illæsam existentem.

§ 5. *Subjectum Quo est latus.* Christus patiebatur latere suo.

§. 6. Thom. Bartholinus latere complectitur omnes partes, sive propiori sive remotiori situ thoracem constituentem externum. *Designat, ait, latus, non tam internas corporis partes, quàm externum corporis inflicti locum, qui eò nos deducit, quâ parte latus patentem fissuram*
pro-

protulerit Christus. Nec diffitetur dolorem τῆς πλευρᾶς
extendi quoque apud Hippocratem ad abdominis sub-
jecta loca: Verum hoc per partium consensum & ne-
cessariam membrorum copulam fieri, audacter sustinet.
Hinc frustra Vincentius latus Christi in abdomine trans-
fossus fuisse, contendit.

§. 7. Utrum vero latus vel dextrum vel sinistrum
vel utrumque perfoderit miles, in diversas sententias
scinduntur Interpretes. Nam in sacro codice non defi-
nitur, & vocula πλευρᾶς de utraque lateris parte tum
munita costis, tum vacuâ sumi consuevit. Sunt, qui si-
nistrum defendere conantur, & ex mente veterum quo-
rundam, qui cor Christi læsum fuisse dicunt. At, falsò
nituntur principio, ac si cor in sinistra lateris parte esset
positum. *Est enim quoad basin in medio, ut docet Bartholi-
nus in Institut. Anatom. lib. 2. cap. 6.* quamvis mucro
ejus non nihil ad sinistrum latus propendeat, & motus
ejus in sinistro latere magis sentiatur. Alii malunt dex-
trum. Quos approbant Bernhardus Serm. VII. in Psal.
XCI. Casparus Barlæus Poeta, ubi Christum in cruce ita
affatur:

Dextra tibi perfossa riget, mea sola scelestæ est.

Quod innuere videtur Liber de Imagine Christi, quam
Judæi in Urbe Berytho crucifixerunt, qui Athanasio tri-
buitur. Afferri enim lanceam jusserunt & cuidam He-
bræorum præceperunt eam tollere, & valido ictu latus
dextrum Iconis illius transfodere.

§. 8. Aliqui utrumque latus apertum fuisse autu-
mant, ut canit Aurelius Prudentius.

Hinc cruoris fluxit unda,

Lympha parte ex altera.

Et consequenter ipsis natum dubium est, an sex vel quin-
que

que fuerint vulnera Christi? Respondent quidam ex Pontificiis, lanceam sinistro lateri impactam transiisse per latus dextrum; Alii dextro lateri illatam transiisse ad sinistrum. Cornel. à Lapide dicit, utramque opinionem esse probabilem. Quicquid sit, putat tamen manere numerum quinque vulnerum, cum sextum illud, quod alteri lateri illatum statuitur, non computetur, cum exiguum fuerit. Sed satius est tacere, quam citra Scripturam incertitas ac inutiles sequi conjecturas

§. 9. Quænam autem è duabus prioribus sententiis præferenda sit, haud facile est dicere. Et si contextus sacer exertis verbis nihil determinet, ac proinde quamcunque quis eligat, nihil fidei nostræ, aut pietati, aut naturæ Corporis Christi, aut scientiæ Anatomicæ statuatur repugnans, placet tamen nobis opinio illorum, qui latus dextrum, tuentur, non autoritate S. Francisci ducti, qui recipiens à Christo crucifixo, quinque stigmata, accepit stigmata in latere dextero æquè ac in manibus & pedibus, ut Bonaventura in ejus Vita restatur, sed hac ratione moti, quoniam latus absolutè positum partem denotat nobiliorem. Quod, ne absolum credas, confirmantem habeo Magnific. Dn. Præsidentem loco superius dicto p. 363. Neque absurdum est statuere, Prophetam Ezechielem certo modo ad hoc allusisse, quando cap. XLVII, 2. inquit: *Et ecce aquæ redundabant à latere dextro.*

§. 10. Coeterum Aquam in genere natura esse humidam atque fluidam propriisq; non contineri terminis neminem rationis compotem potest latere. Quapropter, non attinet huic explicandæ diutius immortari. Quin igitur duo magis necessaria consideranda hinc se offerunt, Aquæ nimirum ex Christi latere fluentis Generatio & ipsius Qualitas

B

§. II. De

§. 11. De Generatione diversas deprehendimus sententias. Quidam existimant miraculo divino illam fuisse auctam; Alii è contrario purè naturalem fuisse affirmant.

§. 12. Casparus Posnerus Profesi. Jenens. in Disputat. de Singularibus ac Mirandis, quæ morti Christi in natura acciderunt th. XXV. distingvit inter *substantiam aquæ & sanguinis, & eorum fluxum*, ac agnoscit miraculum in fluxu, quia referente S. Johanne distinctim fluxit aqua & sanguis, & quidem tanta eorum copia, ut videri & dignosci potuerint quæ exemplum nunquam alias in corpore vivo vel mortuo sit observatum. Ipsam verò substantiam aquæ & sanguinis miraculosè fuisse à Deo creatam affirmare non audet, *cùm miracula sine urgente necessitate non sint fingenda*. Ideoque statuit humores hos quoad substantiam spectatos fuisse naturales, sed quod attinet eorum discretionem & fluxum, hunc putat excessisse vires naturæ, eoque ipso fuisse supernaturalem & miraculosum. Cujus vestigia Nicolaus Nancellius in Analogia Macrocosmi, & Anatomia, ut & Johannes Baptista Poza Theologus Complutensis insistent, & in ipso liquorum effluxu miraculum quidem uterque admittit; sed neuter diffitetur ordinata naturæ necessitate in pericardio creari aquam.

§. 13. Th. Barth. verò docet, Humorem in Christo ab variis corporis, animique turbias, cruciatus ingentes & indigna verbera augeri potuisse, cùm omnis generatio, si in proprio sensu accipiatur, priorem materiam ex qua fiat, necessitate quadam præsupponat, illudque in thorace factum fuisse. Provocat ad exempla Hydropicorum, quorum ab aquæ ubertate adeo subinde in tumorem tollitur thorax, ut & Spiritus includatur & vita.

Qvi-

Quidam sunt in ea opinione, quòd vitio alimentorum mali succi & noctium, quas insomnes egit Servator, serum actum fuerit, ut Honofrius Maneschal Hispanus cap. 4. de Vulneribus Christi & Antonius Santorellus in Post-Praxi Medica. Ast, quoniam ullo testimonio Christi jam ad mortem damnandi voracitatem illis probare impossibile est, displicent vel ipsi Bartholino, qui hanc materiam in Tractatu paulò antè allegato prolixè pertractavit. Alii ab adstrictione vasorum pulmonis, alii à cerebro originem hujus aquæ derivant.

§. 14. Verùm enim verò quis non videt hos omnes falsis niti hypothésibus. Quippe confundunt Christi integram naturam cum corruptâ; Deinde limpidam aquam cum sero & cruore, de quo mox. Verior itaque est sententia Hieronymi aliorumque Patrum, qui dicunt à Deo creatos fuisse liqvores ex latere Christi manantes. Quos hîc nostrates Theologi meritò sequuntur, dicentes, non dari in partibus aquam in se continentibus tantam aquæ copiam, ut largiter ex corpore fluere possit, nisi miraculo divino aucta. Gerhardi verba hunc in modum sonant: *Divino miraculo in Christi corpore fuit aqua enata, cui divina virtuti, etiam unice tribuendum, quod suis quasi mentis à sanguine distincta, non autem eidem permixta ex aperto latere profluxerit. In Harm. Evang. cap. CCIV. p. 2053.*

§. 15. Sequitur jam Aquæ Qualitas, quæ non minoribus premitur difficultatibus, ubi quæritur: An fuerit aqua pura vel sanguine mixta seu serum. Quibus posterius placet, dicunt vocabulum ὕδωρ esse nomen generale, significare etiam humorem aqueum in corpore humano, & non tantùm aquam, quam vocant elemen-

tarem. Exempla petunt ex Dioscoride, Aristot, Galeno, quæ Henricus Stephanus in Thesauro collegit. Et sic humor iste, qui è vaporus densatis, & Spiritibus refrigeratis è portiuncula potus in thoracem illabatur generari creditur. Concedimus eqvidem libenter variam *ὑδατος* vel aquæ significationem. Sumitur enim pro abra fontana Joh. IV, 7. pro aqua Spirituali i. e. Christo, loco citato vers. 10. pro Spiritu S. quando Christus de se ipso loquitur Joh. VII, 38. *Qui credit in me, sicut dicit Scriptura, flumina aquæ vivæ ex ventre ipsius fluent*: Discipulus autem ejus, omnium charissimus hanc interpretationem addit v. 39. *Hoc autem dicit de Spiritu illo, quem accepturi erant in eum credentes.* Quò facit & illud, cum aliquoties Spiritu. S. dicimur baptizandi, Matth. III, 11. Marc. I, 8. Luc. III, 16. &c. Ita in cœlesti Hierosolymâ Johanni ostensus fuit purus fluvius aquæ vivæ, splendide instar Chrystalli, procedens ex throno Dei & Agni, per quem nihil aliud intelligitur, quàm Spiritus. S. à Patre & Filio ab æternò procedens, Apoc. XXII 1. seq. Nil dicam de innumeris V. Instrumenti locis, quæ eodem sensu de Spiritu S. accipiuntur, teste Cyrillo Tom. IV. in Evang. Johann. cap. XIX. p. 181. Quin & pro Humoribus, ceu modò dictum est, in corpore humano. Interim tamen ipsis firmo argumento demonstrare incumbit, ex corpore Christi morte violentâ defuncti talem provenisse humorem. Nos urgemus hîc sine absurditate ipsam Scripturæ literam. Siquidem, *Sensus proprius non est deserendus, nisi ipsa suadeat necessitas.* Cur deseratur via trita, si nihil nos adigit ad diverticula?

§. 16. Unde rectissimè Nifan. in hunc loc. p. 1131. *Non vidit Evangelista aquam putrem, aquam mixtam, sanguinis serum, aquam separatim à sanguine visam, aquam*
seor-

seorsim testificantem I. *Job. V, 6.* Posito hoc fundamento, reliqua facile corruent.

§. 17. Sed ut res distinctius explicetur, ordine processuri nunc agemus de loco, unde aqua profluxit, de quo anxie quaerunt Eruditi. Quadruplicem autem de hoc invenimus sententiam. Prima statuit seorsum fuisse humorem, qui sanguine permixtus, eiqve per venas vehendo destinatus est. Secunda putat ex Pericardio (quod Medici capsulam cordis *περικαρδιον χιλων* appellant) profluxisse. Tertia vult fluxisse humorem illum, qui cruori aquae permixto similis fuerit, ex cavitate thoracis, quia ibi communiter reperitur. Quarta ex corde provenisse affirmat.

§. 18. Primam sententiam quod attinet, illa Stylum Spiritus S. perperam mutat, & loco sanguinis & aquae, quae distinctim & non confuse fluxisse dicuntur, substituit cruentum quendam & aquaticum humorem, sive humorem aquae cruentae mixturam referentem. Certè si serosus humor fuisset, Johannes separatim non vidisset, cum tamen in sacro textu expressis verbis aqua à sanguine secernatur. Hanc nonnullorum sententiam tangit Cajetanus in Comment. eiqve se opponit, dicendo: *Miraculose de corpore mortuo exiit, procul dubio aqua, non phlegma, de quo supra diximus.*

§. 19. Falluntur etiam, qui secundam sententiam amplecti solent, & ex Pericardio hunc liquorem lateris Christi derivandum credunt. Sed ne falcem in alienam messem misisse videamur, audiemus ipsos Medicos, imprimis, cum non pauci ex eorum sint numero, quorum opinio fert, ex membrana cor involvente fluminis sacri originem esse reperendam, quandoquidem similis ibi humor inveniatur, ex humida cordis calidioris exhalatione prognatus, quem laeso dericardio, saepius prorup-
pisse



pisse ex observationibus Anatomicis confirmant. In quorum numerum venit Andreas Laurentius, vir maximinominis, qui libr. 9. histor. Anatom. de Organis Vitalibus in Pericardio aquam reperiri testatur, hanc probationem adducens: Quoniam in sacris Scripturis, dum Salvatoris Christi latus miles aperuit, illicò exivisse aquam & sanguinem dicitur. Pro Pericardio etiam militat Nicolaus Nancellius in Analogia Macrocosmi & Anatomiz, item Hug. Grot. in Notis N. T. Insedit quoque hæc opinio Vesalio, qui aliquoties Pericardium hominum supplicio publico in partes quatuor dissectorum, statim dictum & factum, cum cor adhuc viveret, examinavit, & semper eum humorem invenit. Vide Gerh. Leon. Blasium in Comment. in Veslingii Syntagma Anatom. pag. 147. Thom. Bartholinum de Latere Christi aperto.

§. 20. Blasius modò dictus, liquorem quendam in Pericardio quidem statuit, *Pericardium*, scribit, *liquorem continet tenuem, qui qualitatibus omnino cum urina convenire dicitur, sed diversitas magna adest. Liquor enim hic insipidus est, non acris aut salsus limpidusque, ac nullo colore infectus.* Imò addit: *Supra Diaphragma, humor quoque in thoracis cavitate communiter recipitur similis cruori, aqua permixto, quo thoracis partes oblinuntur, ne nimium calefiant & exsiccentur aliquando adeò copiosus, ut instar crumene magna Diaphragmate depresso propendeat.* At de aqua ex Christi latere fluente, alia ipsi mens est. Primò distinguit inter mortuum & viventem, dicitque à mortuo ad viventem non dari validam consequentiam. Deinde non putat hanc aquam fuisse Pericardii, ut plurimi volunt. *Nam ideo illi hoc volunt, ut eo probent cor Christi fuisse perfossam, ac eum revera mortuum, sed revera mortuum fuisse*

se

se jam constabat, ut docet Evangel. Job. cap. XIX. 30. ad 34. ideo nec fregerunt ejus crura. (2.) Etiam si confossum fuisset pericardium & cor, an ideo aqua illa effluxisset per vulnus & non in thoracis cavitatem? (3.) Sanguis, qui effluxit necessario copiosus fuit, quia recentet erat mortuus, & magnum vulnus inflictum, ut cap. XX. 27. patet, ubi Thomas immisit manum in illud, quomodo verò potuit parva illa quantitas aquae Pericardii discerni a copioso sanguine? Fuit Mystrium nobis incognitum, cujus generis & alia nobis S. Scriptura exhibet, nisi dicere velimus, immoderatam tristitiam sanguinem scrofiorem fecisse, loc. cit. p. 147.

§. 21. Simili ratione Thom. Barthol. inclusum, inquit, membranam cordis seorsum omni cruoris destitutum similitudine Medicorum testantur Filii, sive ortum ejus spectes sive usum, &c. Magnus Dictator noster Hippocrates, quem nunquam hominibus imposuisse Macrobius dixerat, humorem illum modicum tunica pericardii contentum libr. de Corde urinæ comparavit, sicut Pericardium vesicæ.

§. 22. Omnium clarissimè Lumen illud Schneiderus de hac re loquitur: Omnia homine spirante intus calent, adventante morte frigescere incipiunt, ob sanguinem frigescentem. Quare dum de vasis sanguine plenis vapor effertur haret ille ad cava membrorum & in aquam abit. Et hoc est, quod aliquot guttula aquae in pleura, in peritoneo in pericardio & reliquis cavitatibus post mortem inveniuntur Lib. II. de Cathar. cap. 4.

§. 23. Carpus quidem credit, hominem consumptam aquam Pericardii illicò mori. Sed modò laudatus Schneid. nonnunquam unam vel alteram guttam invenit nonnunquam ferè nihil Libr. II. de Catharr. c. 9. Accedit & hoc, quod ex multitudine aquae in Pericardio multa oriuntur Symptomata, lipotymia, palpitatio cordis difficultas
respi

respirandi. Si enim Pericardium refertum est copioso liquore, cor amplius moveri non potest, & sic necessario extinguitur aeger, testantibus Medicis.

§. 24. *Utracumque, quod hoc loco confundatur terminus per quem cum termino à quo. Fluxit Sanguis verus & pura aqua per thoracem & περικαρδιον lancea militis fractum, non à thorace & pericardio cepit initium.*

§. 25. *Hæc & similia probè trutinantes evidenter cognoscere possunt, ex Pericardio Christi mortui hanc aquam non provenisse. Videbimus igitur, quid quarta sententia valeat, an ex corde Christi vel aliunde fluxerit aqua.*

§. 26. *Bartholinus, omnem, ut ajunt, movet lapidem, ut nullum miraculum hic statuere cogatur, ideoque; removet omnia obstacula, aquam scilicet fluxisse, non ex cute, quia fluxioni sufficienti cutis arida, siccaque insufficientis creditur, si sola expendatur pellis. Ea est cutis tenuitas, raritasque, ut vix sola suo ambitu admittat materias liquidas nisi à subjacentibus partibus quoque repetantur. Neque ex musculis intercostalibus, caro quippe musculosa ordinario natura instituto absente vitali luce, propter humidorum corporum Spirituumque inopiam, quibus viventia inflantur, concidit dictum factum, & tabescit. Neque ex corde &c. & concludit tandem ex thorace hunc humorem exiisse.*

§. 27. *Fatemur equidem libenter non multum interesse si profluxerit hæc aqua ex cute Christi, si ex musculis, si ex pulmonibus, si ex cavitate thoracis, si ex Pericardio, si ex Vasis lymphaticis, modò miraculum agnosceretur; Interim tamen non absque rationibus firmioribus dicimus eam fluxisse ex corde Primò Medico Medicum opponimus, & quidem celebrem illum Andream Laurenbergium Rostochiensem, qui in
Disput.*

Disput. X. Colleg. Anatom. th. 7. testatur, quòd non maior liquoris adsit quantitas, quam ut viduos saltem & humectos reddat parietes thoracis. Nunquam tanta copia, ut affatim effluere queat. Etiam si igitur capacitas illa thoracis gaudeat ejusmodi humoribus, humores tamen illic contenti, tam sunt exigui, ut aperto licet thorace, vix exire potuerint, nisi divino miraculo.

§. 28. Deinde favet nostræ sententiæ, hastam nimirum ad pericardium cordisque substantiam penetrasse (1.) *Verbum vóσεν ab Evang. b. l. usurpatum*, quod non leve vulnus fuisse indicat, sed cor ipsum attigisse, & ab Homero de gravissimis etiam vulneribus aut ictibus usurpari notum est. Et sic acceperunt Veteres Augustinus, Tractatu CXX. in Johann. *Vigilanti verbo Evangelista ausus est, ut non diceret latus ejus percussit, aut vulneravit, aut quid aliud, sed aperuit, ut illinc quodam modo vitæ ostium panderetur, unde Sacramenta Ecclesiæ manaverant, sine quibus ad vitam, quæ vera vita est, non intratur.* Ejus Synonymum est *ἐκνεύσεν* infra vers. 37. quo exprimitur Hebr. זָכַר Zachar. XII. v. 10. quod notant transfigere, perfodere, perfodere perfossione tali, quæ penetret intima & secreta. Vide Voetium loc. cit. pag. 198. & Conf. Heins. Exercitat. Sacr. in hunc locum pag. 954. (2) *Behemens sanguisugæ militis insus.* Quid verò hunc militem ad tam crudele facinus instigaverit, non immerito queritur. Paulus Tarnovius in Comment in h. l. p. 305. Duplicem putat, posse dari causam: Aliam *humanam*, eamque militis sive petulantiam (ut vult Maldonatus & alii) sive diligentiam quandam curiosam, hac ratione volentis inquirere, num verè mortuus fuerit Christus, ut Junius. (Et forsan hæc fuit causa cur Hæretici

C

retici quidam Christo adhuc vivo latus dixerint aper-
tum, qui in concilio Viennensi refutantur, & habetur
c. X. de S. Trinit. & Fide Cathol. teste Nifanio in Comm.
in Joh. p. 1129.) Aliam *divinam* quia ita decretum &
revelatum erat à Deo in Scripturâ. Plerique Patres id fa-
ctum dicunt, ut aqua & sanguis inde promanans figura-
ret duo Sacramenta. Ambros. lib. 10. in Luc. Cyrillus lib.
12. in Joh. cap. 29. August. lib. II. de Symbolo cap. 6. &
tractatu 120. in Joh. (3) *Veterum & recentiorum Theo-
logorum consensus.* Aurelius Prudentius non vilis in Ec-
clesia existimationis vulneris hujus magnitudinem hoc
modo exprimit:

*Si cor habes maculatum,
Inspice vulnus tam latum
Cordis ejus illinc fluit,
Unda quæ sordes abluit.*

§. 29. Prioribus itaque discussis aliis dubiis, non
minoribus difficultatibus laborantis solutionem tenta-
bimus, Scil. An hujus aquæ fluxus fuerit naturalis vel su-
pernaturalis seu miraculosus.

§. 30. Calvinianos principe loco ponendos esse
censemus, qui in hoc aquæ non stillicidio sed copioso
fluxu nullum agnoscunt miraculum. Calvinus in Com-
ment. in Joh. cap. XIX. 34. p. 229. sensa mentis suæ ita
exponit: *Hallucinati sunt quidam miraculum hic fingentes.
Naturale enim est, dum coagulatur sanguis amisso rubore
fieri aquæ similem. Notum etiam est, in membrana pericardii
vicini aquam contineri. Decepti autem sunt illi, quod tam
sedulo Evangelista inculcat aquam fluxisse cum sanguine, ac si
aliquid insolitum & præter naturæ ordinem referret. Sed ali-
ud ei fuit consilium, nempe ut narrationem suam aptaret
Scripturæ testimoniis, quæ mox subjicit.* Hunc sequitur Be-
za Homil. 35.

§. 31. Cui

§. 31. Cui sententiæ Voët. Part. II. Select. Disput. Theoz
logic. de perfosso latere Christi p. 210. seq. Voëtius etiam
firmiter inhæret, quam probat sequentibus rationibus
I. Quia fuit verus homo nobis per omnia similis, excepto pec-
cato, h. e. quia fuit natura (ut homo cum suis principiis, ma-
teria & forma inter naturas numeratur.) itaque illius corpus
in vita & in morte omni naturali motui (qualis est effluxus
sanguinis) fuit subiectum. Sed verum prius. E. consequen-
ter fuit effluxus ille naturalis ex Aristotelicâ definitione na-
tura. Esse autem effluxum aquæ & sanguinis naturalem
passionem corporum recenter mortuorum, quamvis esset ex
rarò contingentibus. II. Ubi desunt requisita miraculi, hoc
non est miraculum, sed verum est prius. Ergo: Requisite sunt,
ut sit opus insolens, & extraordinarium, deinde, ut totam na-
tura vim transcendat, sive producendo aliquid, ubi nihil tale
est, aut nulla ad id facultas & dispositio, aut supranaturam
intendendo vires natura. Jam verò affectus hic ordinarius,
est & Medicorum κατὰ πᾶντες h. e. ὡς ἐν τῷ πολὺ ἰ. e. ut plu-
rimum (quod in his sufficit, ut olim legere me memini in dis-
sertationibus anti-Ramæis Philippi Scherpii Medici & Philo-
sophi Altorfini:) effluere enim sanguinem & aquam necesse
est, si pericardium pertusum sit, imò, si modò thorax, ut vult
Bartholinus: Posita enim hac causâ talis sequitur effectus.
Jam verò aquam pericardii tam in vivis, quam in omnibus
mortuis docent Anatomici. Ad hac natura vim non tran-
scendit, quod aperto latere & rupto pericardio ac vasis inter-
costalibus, aut etiam ramo vene cavæ sanguis & aqua inde
effluerint & pondere suo versus vulnus descenderint atque
ita effluerint: Imprimis si cum antiquis & recentioribus sta-
tuatur crux præalta fuisse. III. Quia miraculo, quod sine ne-
cessitate fingitur, aliquid detrahitur veritati passibilis, mora-
talis & mortui corporis Christi; veritati humilationibus &

passionis, immensitati Caritatis ejus erga nos, efficacia meriti, atq; adeo fidei & consolationi nostrae. Dum enim necessitati infirmitatis & humilis mortalitatis humana Christum pro nobis subjectum negat hac in parte, utique videntur obscurare ignominiam, arumnas & infirmitates crucifixi, quas tamen tam pathetice deprecatur Esa. LIII, 3. 4. 5. IV. Accedunt auctoritates eorum, qui olim in ipso Papatu phlegma (voluerunt dicere serosum humorem, & sic exponit Rudolph. de Saxon. per humorem aquaticum) effluxisse dixerunt, ut innuit Thomas part. 3. quest. 73. art. 7. & post illum Lyranus & Cajetanus in Comment. Quorum sententia, quamvis vera, paulatim evanuit per commentum illud Innocentii II. de pura aqua Mystice significante scilicet Corpus Christi ex quatuor Elementis esse compositum, sicut sanguis significabat idem compositum fuisse ex quatuor humoribus, cujus meminit Thomas ibid.

§. 32. Hunc sicut in aliis, ita pressius hic sequitur Thom. Barth. qui veram aquam ex latere Christi emanasse sine hæresios dicam inde negat, quod neque talis unquam sive ex corde, sive pericardio perfusam, sive denique ex thoracis capacitare fluere potuerit, quæ nusquam ibi inventa fuit, neque ad miraculum confugere ipsi volupe est, quando manifestum est naturæ institutum. Hanc opinionem ex sacris audet probare, quod confuso non distincto ordine utrumque liquorem exiisse sacri Historici auctoritas indicaret, quæ Johan. XIX. τὸ ἐν θυρῶν pari jure & temporis intervallo tam ad ἀίμα, quam ad τὸ ὕδωρ restringit per ἡμῶν consuetam verborum & sententiarum copulam.

§. 33. At qualis hujus probationis sit firmitas, alii judicent. Ego arbitror hoc pro miraculo confirmando potius facere; Propterea Johannes utrumque vocabulum

bulum conjunxit, quia aqua & sanguis unà emanarunt, & ideò separatim posuit, quoniam nullam utriusque liquoris confusionem vel mixturam cognovit. Neque movet me autoritas Baptistæ Mantuani Poetæ Cruorem aquis confusum nominantis, ubi lib. Festorum per militis digitos de lapsu humorem describit:

*Tu, cæcus non mente minus, quàm corpore sanctum
Lancæ, & admoto pectus mucrone petisti.
Inde cruor confusus aquis hastilia circum
In digitos lapsus tetigit &c.*

§. 34. Ut autem omnia evadant clariora, præter naturalem & miraculosum fluxum & rationibus firmis-
simis & Autoritatibus non contemnendis probatum
dabimus.

§. 35. Primum verò locum occupat Testimonium Evangelistæ Johannis, quod omnem Antagonistis elabendi ansam præscindit. Nam ille testis oculatus v. 35. tergemina hanc assertionem apposuit, *qui vidit, testimonium perhibuit, & verum est testimonium ejus: Et ille, scit, quod vera dicit.* Cur hanc trinam obtestationem statim subjiceret, nisi ut fidem miraculo isti antea inaudito conciliaret, & ut eò majorem testimonio Joh. afferat autoritatem remittit nos ad vaticinia prophetica, quæ narrationi Evangelistarum magnum addunt robur & pondus: *Os non fregerunt. Exod. XII, 46. (2) Adspicient ad me, quem transfixerunt. Zach. XII, 10.* Hoc Testimonium Nisan. in Comment. in h. l. p. 1131. valdè urget: *Evangelista, inquit, utriusque liquoris, tum sanguinis, tum aquæ, quòum distinctè mentionem moveat, literam quoq. sine periculo absurdi hic premendam esse arbitramur. Quod, si enim hic, de quo modò loquimur, fons promiscuè fluxit, Evangelista quoque ejus promiscuè meminisset. Sicut enim res gesta est,*

Ita est, & prout vidit, ita Evangelista procul omni dubio eandem quoque describendo recensuit. Ipse enim cruce, unà cum matre Jesu, tùm prope stetit, ut, quæ cum crucifixo Salvatore acta sunt, omnia vel minima etiam quæque oculis suis accurate venari potuerit. Accedit, quòd gravis illa asseveratio, quàm hic addidit Noster, & immediate quidem ad hanc relationem, satis indicet singulare quippiam & miraculosum hoc esse.

§. 36. Ac ne nauseam pariamus prolixè repetendo, quæ supra dicta fuerunt, quòd tam exigua aqua sine miraculo divino instar scaturiginis fluere non potuisset, alio argumento fluxum miraculosum ibo probatum, quippe quod fluxus horum liquorum fuerit Typus duorum Sacramentorum N. Test. ut deinceps dicetur. Et non possum non adjicere, quòd Voëtius ex antiquis collectionibus decretalium cum Notis Ant. Augustini & Cujacii editis Paris. 1609. Collect. 3. tit. 33. allegavit: *Illud est nefarium opinari, quòd quidam dicere presumpserunt, aquam videlicet in phlegma converti, nam & à latere Christi non aquam, sed humorem aquaticum mentiuntur existisse: non attendentes, quòd de latere Christi duo Sacramenta fluxerunt, & quòd non baptizantur in phlegmate, sed in aqua.*

§. 37. His & aliis rationibus motus scribit Theophylactus in Joh. *Judæi etiam mortuum corpus contumelià afficere conantur, sed contumelià illis in miraculum vertitur: & sanguinem mortuo corpore prodisse admirabile est. Veruntamen possit quis sycophantarum dicere, quòd verisimile sit vitalem quandam virtutem adhuc in corpore fuisse, aqua autem egressa, omnem controversiam miraculo tollit. Dignissima notatu sunt verba Gerhardi: Ut primum Christi miraculum factum in aqua Job. II, 9. sic per aquam mira-*

miraculosè ex latere profluentem miraculis suis finem impo-
nere voluit. In Harm. Evang. cap. CCIV. p. 2053. Et juxta
Nonni Panopolitani versum:

Πρῶτα μὲν αἷμα χύθη μετέπειτα δὲ δίσκλον ὕδωρ

Id est, Primò fluxit quidem sanguis, postea vero admi-
rabilis aqua.

§. 38. Neque diversum conceperunt alii sacrarum
literarum Interpretes, qui ad Evangelii mirandas histo-
rias vires ingenii contulerunt, inter quos numerari me-
retur Paul. Tarnov. in Ev. Joh. in loc. ante cit. p. 3065. cujus
sententiæ argumenta hæc sunt (1.) Verba Evangelistæ, hanc
rem, non ut vulgarem, & naturalem, sed ut singularem &
supernaturalem referentis, suo testimonio confirmantis: quod
non fuisset necesse, se nihil singulare hic narraret. Adde 1. Job.
V, 6. (2.) Testimonia & judicia veterum Nazianz. vel ut
alii volunt Apollinaris Laodicenus in Tragoedia, quæ
operibus Nazianzeni adjuncta est & dicitur χειρὸς παχῶν.

Πλευρῶς νεφυγμένης δὲ θαυμαστῶς ὕδωρ ἔσαξεν εὐδὺς αἷμα
τ' ἔπεφυγεῖνοι (3.) Aqua seorsim & sanguis seorsim non flu-
it naturaliter ex ullo etiam vivo corpore. Ex Christi mortui
corpore fluxit illa & hic seorsim. Ergo non naturaliter. Hu-
jus vestigia premit antea laudatus Nifan, l. c. p. 1132. Nec
aqua cum sanguine simul fluere solet, nec larga copia, nec di-
stinctè, ut & aqua & sanguis suis mentis observari possint, quæ
omnia sic facta, & notanter tanquam mira à Job. descripta
sunt. Item Jansenius in Concord. Evang. in h. l. & ad-
huc plures, quos recensere longum nimis & operosum
foret.

§. 39. Hæc igitur, qui accuratè & diligenter secum
perpenderit, intelliget, nos nulla fingere miracula, nec si-
ne causa ad ea confugere.

§. 40. His

§. 40. His absolutis accingimur ad quæstiones decidendas.

I. *An Aqua ex latere Christi profluens sit Typus Sacramenti Baptismi.*

§. 41. Non diffitemur Interpretes abire hic in diversas partes. Coccejus in Comment. in Evang. Johan. 691. hunc sensum elicit, dicens: *Nos quidem non possumus hic non recordari ejus, quod legitur 1. Job. V, 6. Hic est, qui venit cum aqua & sanguine Jesus Christus, non per aquam solum, sed per aquam & sanguinem. Quod parabolice dicitur. Aqua enim notat, quod in se purum est & vim purificandi habet, id est, Christi obedientia. Sanguis præterea notat passiones, quas per obedientiam sustinuit Christus ad sanctificandum Deum & expiandam iram Dei adversus peccata. Conf. Phil. II, 8. Factus est obediens usque ad mortem. Mox v. 8. per sanguinem, quem tertium testem facit, testantem in terra intelligere debemus etiam sanguinem fidelium, quem effuderunt per letitiam Sp. pro nomine Filii Dei. Pontificii à vero prorsus aberrantes satis ineptè contendunt; Hujus rei Symbolo in consecratione calicis Eucharistici vino miscendam esse aquam, ut representetur hæc effusio sanguinis & aquæ ex latere Christi. Nec Cornel. à Lapide in Comment. ad hunc loc. abhorret ab hæc opinione. Gregorius XIII. inquit; *Non debet, (ut à Patribus accepimus, & ipsa ratio docet;) In calice Domini aut vinum solum, aut aqua sola offerri, sed utrumque permixtum, quia utrumque ex latere Christi in passione sua legitur.**

§. 42. Nos autem sepositis omnibus sententiis, quæ

quæ vel nimis a scopo Spiritus S. alienæ sunt, vel superstitionem aliquam redolent, statuimus miraculosè & myrice per hunc fluxum Baptismum fuisse adumbratum, quæ constans antiquitatis orthodoxæ est sententia. Elias Cretensis in commentario Orat. 6. Nazianz. de Spiritu S. Hæc illa sunt quæ de Incarnatione Dei sermonis testantur. Spiritus quidem id temporis cum descenderet in eum specie columba, aqua verò & sanguis cum è latere illius profuerent. Nam quod hæc de ipsius corpore profluxerint, id ipsum quidam erat, quod naturam humanam excederet. Huic Cyrillus Episcopus Alexand. in hæc re accedit, cum ait: Lancea latus Christi perfodiunt, unde cruor aqua mistus scaturit, quod sancti Baptismatis vel Eulogie mystica imago quædam erat & primitiæ Christi enim verè est, & à Christo sanctum Baptisma & Eulogie mystica vis ex sancta nobis carne prodiit. Tom. IV. in h. l. p. 1074.

§. 43. Sic explicare fere Græcos omnes, item omnes Autores veteres fatentur, Bellarminus lib. II. de effic. Sacrament. cap. 27. & Maldonatus in cap. 27. Addi debet Augustinus, cujus memorabilis locus extat lib. II. de symbolo ad Catechumenos cap. VI. Ascendat sponsus noster i thalami sui lignum: Ascendat sponsus noster, i thalami sui lectum. Dormiat dormièdo, aperiatur ejus latus & Ecclesia prodeat Virgo, ut quomodo Eva facta est ex latere Adami dormientis, ita Ecclesia formetur ex latere Christi in cruce videntis. Percussum enim est ejus latus, ut Evangelium loquitur, & statim manavit sanguis & aqua, quæ sunt Ecclesie gemina Sacramenta: Aqua, in qua est sponsa purificata, sanguis in quo invenitur esse datata. Cui assentitur Thom. Aquinas part. 3. quæst. 66. art. 3. Ex latere Christi fluxit Aqua ad abluendum, Sanguis ad redimendum, & ideo sanguis competit Sacramento Eucharistiæ, aqua verò Sacramento Baptismi

D

Huc

Huc spectat illud Augustini lib. XII. contra Faust. Man ch.
*Nemo intrat in Ecclesiam nisi per Sacramentum remissionis
peccatorum hoc autem de CHRISTI latere aperto ma-
navit.*

§. 44. Unde Patres nonnulli Ambros. Hieronym.
Damascenus, Tertullianus &c. ob mysterium Baptismi
per aquam significatum ab aliis traditum ordinem reli-
gioso ausu inverterunt, ut testatur Voetius part. II. select.
Disputat. Theologic. de perfosso Christi latere. Fusiùs
aliorum testimoniis rem hanc illustrare, operæ esse pre-
tium non arbitramur.

§. 45. Illud saltem adhuc observandum venit,
quod nos hoc non ita intellectum velimus, ac si sola aqua
ad Baptisma constituendum sufficiat. Nam duplicem
hujus materiam, terrenam sc. & cœlestem esse S. Scriptu-
ra & ex eâ omnes Orthodoxi Theologi unanimi consen-
su fatentur, quanquam discrepent, quænam sit res illa
cœlestis. B. Hulsemannus nominat *Verbum* (id est rem
Verbo promissam) Eph. V, 26. D. Dannhavverus *Spiri-
tum S.* Joh. III, 5. I. Cor. VI, 11. D. Hutterus *Sanguinem*,
I. Joh. V, 6. Plerique, totam S. S. Trinitatem, B. Lutherus
in Post. Eccles. supra locum I. Joh. V. scribit: *Hic est, quæ
venit per aquam sc. Baptismi, quæ non est nuda aqua sed cum
eâ conjunctus est sanguis, non hircorum aut vitulorum, sicut
in Vet. Test. sed ipsius Christi sanguis, qui efficaciter cum Ba-
ptismo aqua miscetur.* Verba ipsa admodum sunt empha-
tica: *Es wird Christi Blut kräftiglich in die Wasser
Taufe gemenget / daß man sie nicht soll ansehen / noch
halten für schlecht lauter Wasser / sondern als schon ge-
färbet / und durch röthet mit dem theuren rosinfarben
Blut Christi.*

§. 46.

§. 46. B. Scherz. ait, *Ex aqua & Spiritu*, Job. III, 5. *EX* materiam denotat uti Galat. IV, 4. &c. sicut enim recte colligo. *EX* aqua. Ergo aqua est materia, ita recte infero. *EX* Spiritu. Ergo Spiritus (qui tamen Trinitatem non excludit) est materia vel res Baptismi. System. Theolog. Loc. XIV pag. 362. Magnif. D. Deutschmannus rem ita interpretatur; *Tota*, ait, *sacro sancta Trinitas non tantum Baptismum causaliter instituit, sed etiam in eodem tanquam Symbolo sacramentaliter consecrato vult esse presens, & presenter ac principaliter operari.* (1.) quia S. S. Trinitas est materia celestis Baptismi: Jam autem materia sive celestis sive terrestris sit in Baptismo necessario requiritur, quia substantiam Sacramenti constituere dicitur. (2.) quia baptizamur in nomine Patris, Filii & Spiritus S. Matth. XXII, 19. (3.) quia suam presentiam in Baptismo Christi Trinitas tota manifestavit, & in ipso facto se presentem esse semper in administratione Baptismi luculentissime demonstravit. (4.) quia Baptismus nihil aliud est, quam stipulatio bonae conscientiae cum DEO 1. Pet. III. 21. adeoque DEI confederati tunc efficimur, quando baptizamur. In Theolog. Positivo Polemica Thes. XI. p. 102.

§. 47. Hinc colligi licet, quando per aquam ex latere Christi fluentem Baptismus adumbratur, materiam celestem non excludi, sed partem pro toto synecdochicè sumi, quo loquendi genere Spiritus S. frequenter utitur. Nec desunt rationes: Nam sicut aqua multum ad sordes eluendas valet. Quamobrem non in re tantum domesticâ infinitus ejus fere usus est, sed & Deus olim in V. Testamento cum Sacerdotibus, tum omni populo varias lotiones, praecipue circa cultum divinum praecerat, quæ illuviei peccatorum per Messiam extergendæ forent Typi; pari ratione omnis efficacia Baptismi, in eo occupatur, ut homines à peccatorum inquinamentis purgentur.

§. 48. Adhæc non insignis modoutilitas, sed & magna suavitas ex aqua reduntat, utpote cujus haustu, & homines & cœtera animalia siti fauces eorum terrentes recreationem capiunt, calorque corporibus ita temperatur, ut ne humoribus consumptis, æstus nimius vel taen vel mortem adferat. Similes & Baptismi illa aqua utilitates Ecclesiæ ejusque membris exhibet. Cum enim homo Christianus peccatorum suorum multitudinem & deformitatem ex legis divinæ speculo cognitam rite perpendit & æstimat, tantus nonnunquam terror & angor, tantusque æstus excitatur, ut, quò confugiat, animo sit incerto, tum ergo aqua Baptismatis opportunè adest, & animam iræ divinæ æstu & peccatorum mole torridam suaviter refrigerat & consolidat.

§. 49. Progredimur itaque ad quæstionem
*II. An hujus aquæ effusio sit pars passionis,
atq; adeo etiam materia satisfactionis
& solutionis pro nostris peccatis,*

§. 50. Negat exserte Cornel. à Lapide hoc argumento: *Hoc factum esse ad Mysterium, non ad meritum, meritum enim in morte Christus consummavit; nec enim jam mortuus mereri potuit.* Idem statuunt Alphonsus, Tostatus, Salmeron, Barradius & Faustus Socinus. Gabr. Vasquez. Jesuita T. I. Comm. in 3. part. Thom. quæst. 19. disp. 77. cap. I. quæstionem movet: An Christus etiam post mortem suam, aliquid nobis meruerit, & negativam defendit, solvitque objectionem illam quæ ex fluxu sanguinis & aquæ è latere Christi post mortem viso, formatur, & his „verbis concepta est: Vulgaris Theologorum sententia „asserit, ex Christi latere lanceâ post mortem transfixo „Sacramenta Ecclesiæ manasse. Hæc enim non habent
effica-

efficacitatem producendi gratiam, nisi ex meritis Chri-
sti, à quibus tanquam ex fonte manarunt. Cum igitur,
dicantur manasse tanquam ex fonte, ex vulnere lateris,
Christi transverberati, sequitur, vulnus illud post mor-
tem inflictum fuisse meritorium, ac proinde Christum,
post mortem nobis meruisse nostram salutem. Ne-
gat autem hanc opinionem dicendo, aliam fuisse men-
tem S. Patrum, qui dicunt, Sacramenta ex Christi latere,
manasse, illos enim non loqui de Ecclesiæ Sacramentis,
quæ sunt causa nostræ salutis, sed de ipso sanguine & a-
qua, quæ sunt duo Sacramenta, h. e. duo mysteria. In
horum sententiam descendit etiam Thom. Bartholinus:
Nihil, inquit, humanæ Salutis admodum interfuit, si
aliquorum stamus autoritate absoluto per mortem pa-
tientis termino, tantum functo satis Salvatori vulnus,
infligi voce in cruce prolata *τετέλειται*, consummatum est,
a morte, vel per mortem aut in morte ejus cuncta resti-
tuta nobis promittebat, qui merendi & demerendi ter-
minos post fata excesserat. Quippe viventium mereri,
est non defunctorum; De Latere Christi aperto cap. 3.
pag. 17.

§. 51. Sed non videmus, cur a merito Christi hæc
passio absolute excludi debeat. Quia erat aqua Filii Dei,
quæ effundebatur, & plaga & ignominia ejus corpori il-
lata est, non aliqua ejus culpâ sed voluntaria subjectione.
Deinde, quia pertinet hoc ad statum Humiliationis &
consequenter est meritum nostrum. Bene celeberrimus,
& de Ecclesia Jesu Christi optime meritus Theologus D.
Joh. G. Dorschæus dissert. de Spir. Aqua & Sanguine, tri-
bus in terrâ restibus ex 1. Joh. V, 8. §. 30. inquit: *Fluxus ille
aqua, seu potius passio illa, elicitæ è latere per confosionem
violentam aquæ, non minus est aliquid ad pretium redemptio-
nis*

nis pertinens, quàm illa passio effluentis sanguinis. Sicut & lacryma, quatenus pertinuerunt ad reuerentiam majestatis, seruilisq; formam & obedientiam humillimam Christi Jesu ad pretium redemptionis referuntur. Hæc ille.

§. 52. Hanc quæstionem excipit ultima vel

III. An ex fluxu duorum modò liquorum sanguinis nimirum & aquæ sequatur, duo saltem Sacramenta esse statuenda, Baptismum sc. & Cœnam Dominicam.

§. 53. Pontificii numerum Sacramentorum septenarium multis modis stabilare satagunt, & in numerum Sacramentorum præter Baptismum & Eucharistiam, Confirmationem, Pœnitentiam, Extremam Unctionem, Ordinem & Matrimonium referunt. Bellarmin. lib. II. de effect. Sacr. c. 27. Quæ, ubi secundum requisita veri & genuini sacramenti examinentur, in fumum abeunt. Siquidem nullum inter rem sacram & sacramentum discrimen faciunt.

§. 54. Nos illa tantum esse Sacramenta N. T. propriè dicta: quorum materia fluxit ex latere Christi, Baptismum scil. & Sacram cœnam probamus. I Quia optimè conuenit cum illo, quod i. Joh. V, 6. scriptum est de Christo veniente ad nos per aquam & sanguinem. Tertullianus libr. de Bapt. c. 16. p. 224. egregiè hunc locum explicat inqviens: *Venerat Christus per aquam & sanguinem, ut aqua tingeretur & sanguine glorificaretur, proinde ut nos faceret aqua vocatos, sanguine electos, hos duos Baptismos de vulnere per fossi lateris emisit, quia, qui in sanguinem ejus crederent, aqua lavarentur, qui aqua lavissent, etiam sanguinem potarent.* Eiusdem tenoris sunt verba Elia Cretensis in Comm. Orat. 6. Nazianz. de Spir. S. p. 190. edit. Basil. Hæc illa sunt, quæ de

in-

incarnatione Dei sermonis testantur, Spiritus quidem id tem-
poris, cum descenderet in eum specie columbe, aqua vero &
sanguis, cum e latere illius profluerent. Nam quod hac de ipso
corpore profluxerint, id ipsum quiddam erat, quod naturam
humanam excederet. Cui ad stipulatur Algerus lib. I. de
Sacram. c. 19, tom. 6. Bibl. Patr. p. 499. Quia mirum fuit
mortales de caelo secundum promissionem Christi Spiritum S.
accipere, & mortuum more viventis non saniem sed sanguinem,
imò supra morem vivorum & mortuorum cum sanguine a-
quam de vulnere lateris fundere, quod tamen sicut miracu-
lum sic constat fuisse mysterium. Dionys. Carthus. 4. Sent.
dist. 7. quæst. I. p. 59. Origo Sacramentorum est Passio Christi,
de cujus latere Sacramenta fluxerunt.

§. 54. Ipsi Pontificii fatentur duo Sacramenta Eccle-
siæ hoc loco adumbrata esse, sed addunt præcipua, Jans. in
Concord. c. 143. Hoc duplici fluxu designata sunt duo præci-
pua Ecclesiæ Sacramenta. Maldon. in Matth. 27. Per sangui-
nem Eucharistia, quâ alimur, per aquam Baptismus, quo na-
scimur, duo præcipua salutis nostræ Sacramenta significantur.
Alphonf. Salmeron. T. 10. tract. 43. Emisit sanguinem &
aquam in signum duorum Sacramentorum, Baptismi, in quo
aqua tingimur, & Eucharistia, in sanguine potamur. Ita etiam
huic rationi respondet Bellarminus l. add. Locus, inquit,
ille Johannis non male ita exponi potest, ut significantur per
sanguinem & aquam Eucharistia & Baptismus, ut exponunt
ferè Græci omnes; Sed non propterea excluduntur cætera Sa-
cramenta. Solum enim duo posita sunt, quia sunt magis com-
munia, & magis principalia, & ex illis poterat idem judici-
um de cæteris fieri.

§. 56. Ad hoc verò respondemus, (1.) duobus sal-
tem (Baptismo & Eucharistiæ) veram definitionem Sa-
cramenti competere, quod ex inductione patet. enim

Pseudo-Sacramenta laborant defectu vel *causa efficientis* vel *materiae* & *formae sacramentalis*, vel *promissionis gratiae Evangelicae*. Vide B. Scherz. Syst. Loc. XIII. de Sacram. in gen. p. 339. (2) Plura Sacramenta respondere illi typo fluxus è latere sanguinis, & aquae, repugnare triadi testimoniorum Dei in terra. Et si quis velit per sanguinem *pretium*, per *aquam Baptismum* intelligere, ille fluxus non est duorum Sacramentorum adumbratio, sed unius scil. Baptismi. Nam sanguinis, è latere scaturiens non significat pretium & adumbrat, sed est ipsum pretium. Hinc plures Patrum amplectuntur expositionem de adumbratione duorum Sacramentorum. Qui verò eorum per sanguinem intelligunt pretium nostrae redemptionis, illi hoc loco sanguinem, ut sacramentaliter oblatum, considerant. Unde S. *Eucharistia* vocatur *pretii nostri Sacramentum* ab August. Confess. c. 14. Confer. Ioh. Georg. Dorscheum loc cit.

§. 56. Cæterum, quod sanguis à Joh præponitur, aqua sequitur in historia, non impedit, quo minus per sanguinem Eucharistia per aquam Baptismus intelligatur. Non enim Johannes ordinem Sacramentorum, sed miraculorum gradum respexit. *Insolitum erat ex corpore defuncto fluere sanguinem, sed quod insuper aquam juxta distincteque promanantem videt, hoc auget mirandi spectaculi magnitudinem.* Idem c. l. p. 55.

§. 57. Loco Coronidis adjiciemus laudatissimam Leonis Epistolam, quam olim rectæ fidei colum nam constat appellatam in Concilio Chalcedonensi. *Si quis Christianam suscipit fidem, & à predicatione Evangelii suum avertit audium. videat, quæ natura transfixa clavis pependit in crucis ligno & aperto per militis lanceam latere crucifixi intelligat, unde sanguis & aqua affluerint, ut Ecclesia Dei & lavacro rigaretur & poculo,*

S. D. G.


05 A 1350

ULB Halle
003 781 119

3







2. D. B. V,
DISSERTATIO THEOLOGICA
DE
Aqva ex Christi
latere profluente,
Ex Job. XIX, 34.

Quam
PRÆSIDE

Magnifico, summè Reverendo, Amplissimo atq̄. Excellentissimo
DN. JOH. ANDR. *Svenstedt/*
SS. Theol. Doctore ejusdemque Prof. Publ. celeberrimo,
Ordinis Theolog. Seniore Consistorii Eccles. Assessore
& Templi omnium Sanctorum Præposito
Gravissimo, p. t. Academiae
RECTORE Meritissimo,
Dn. Patrono, Praeceptore & Studiorum
Promotore aeternum Devenendo,
Publico Eruditorum Examine

submittit

RESPONDENS,

Johannes Christophorus *Ritter/*
Wurcenâ-Misnicus,

IN AUDITORIO MAJORI,
EDITIO SECUNDA, ANNO. MDC XCIX.

WITTEBERGÆ, Typis C. FINCELII.